

Christian Woldenberg

**Programma Quo Christianus Woldenbergius, Crempa-Holsat. ... Decanus
Facultatis Iuridicae In Academia Rostochiensi ... ad Disputationem Inauguralem
... Dn. Matthaei Sluteri, Hamburgensis ... die III. Aprilis ... invitat : [P.P. Rostochii
sub Sigillo Facultatis Iuridicae die XXIII. Martii. Anno M.DC.LXXIII.]**

Rostochii: Kilius, 1673

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn746688172>


Druck Freier  Zugang






H. K. — 2 (158.)







PROGRAMMA

^{Quo}
CHRISTIANUS WOL-
DENBERGIUS, Crempa-Holsat.

Phil. J.U.D. Decretalium PP. Ducalis Con-
sistorii Assessor, Comes Palat. Cæsareus, & p.t.

DECANUS
FACULTATIS JURIDICÆ
IN ACADEMIA ROSTOCHIENSI

Suo & Dnn. Collegarum nomine

ad

DISPUTATIONEM INAUGURALEM

Prænobilis atq; Clarissimi J.U. Cand.

DN. MATTHÆI SLUTERI,

Hamburgensis.

Pro obtinendis in Utroque Jure, Canonico, & Civili
honoribus ac privilegiis

In Auditorio Majori die III. Aprilis habendam,

Magnificum DN. Rectorem,

Excellentissimos Dominos Professores, Amplissimos

omnes omnium ordinum Doctores, omnesque Literatos, &

Literatorum cultores ac Fautores, officiosè ac
humaniter invitat.

ROSTOCHII,

Typis JOHANNIS KILII, Universitatis Typogr. Anno 1673.



S. O.



Ivinus Plato *lib. 1. de LL.* in hac auro & argento contra habenda erumpit verba: Sine jure nec domus ulla, nec Civitas, nec gens, nec hominum universum genus, nec ipsa rerum natura stare potest. Quippe nihil ad civilium cœtuum primordia rectè jacienda magis necessarium, quàm illius æquabilis per leges constitutio. Nihil in omni Reipublicæ jam constitutæ parte, sive publicæ, sive privatæ utilius, quàm earundem Legum & clara & certa interpretatio: Nihil denique hominibus aut ad nominis splendorem honestius, aut fructu uberius, aut ipsâ rei scientiâ jucundius esse potest, quàm hujus

Civilis Scientiæ studium. Unde Suidas Numam *ὑπὸ τῶν νόμων* dictum putat, quod uti Romulus Rempublicam primùm L.L. Civilibus: Ita Numa Pompilius Religione, & sacris imbuerit ritibus. Nam Romulus, qui urbis juxta ac Civitatis conditor erat, non tantum pomerium constituit, & mania construxit; sed præclaris institutis Reipublicæ primordia stabilivit, post Ilium captum Anno CCCXXXII, Olympiade 7. & octavo ab U. C. cum Tito Tatio Sabinorum Rege fœdus iniit, quorum uterque LL. rogavit. Hinc Curiatæ, Centuriatæ, seu Consulares Leges, & Tribunitiæ invaluerunt, quibus sub Regibus Annis 244. & post sub Coss. & Tribunis longo tempore usi sunt. Anno ab V. C. ccc. Coss. Spurio Tarpejo & A. Aternio missi sunt Legati Athenas, jussique inclytas LL. Solonis describere, & aliarum Græciæ Civitatum mores, juraque noscere: Deinde Anno CCCII. cum redissent Legati cum Atticis LL. de Decemviris creandis Populus consulitur, & Anno ab U. C. CCCIII. creantur Decemviri, datumque est eis jus eo anno summum in Civitate, ut Leges corrigerent, si opus esset, & interpretarentur. Extiterunt integræ Diodori Siculi temporibus: *ἡδὲ γραφεῖσαι νομιωτέσι βραχέως καὶ ἀπείττως συνκειμένη διέμεινε θαυματοζομένη μεχρὶ τῶν καθ' ἡμᾶς καΐφω.* Hæc legum descriptio brevis, & omnis apparatus expertus ad hæc tempora durat: Imo D. Cypriani tempore lectitabantur, & adhuc superstites per
omnium

omnium manus volitabant, ut scribit ad Donatum *L. 2. Epist. 2.* Integras etiam Gellius habuit, ut colligere est *ex l. 20. c. 7.* Sed eodem casu periêrunt, quo desideranda varia opera: fragmenta verò aliquot supersunt, quæ ab omnibus, qui literas Romæ amplectebantur, & libros scribebant, frequenter usurpabantur, & memoriæ mandabantur, ut *Cic. lib. de Legibus.* Discebamus pueri XII. tabulas, ut carmen necessarium, quas jam nemo discit. Quinimò Crassus apud Ciceronem in Oratore, tanti operis nobis auget desiderium his verbis: fremant omnes licet, dicam, quod sentio: Bibliothecas omnium mehercule Philosophorum unus mihi videtur XII. tabularum libellus, si quis Legum fontes & capita viderit, & auctoritatis pondere & utilitatis superare ubertate. In his jacta sunt prima Jurisprudentiæ fundamenta, & in his principio omnium interpretationum cardo vertebarur: Primæ enim obligationibus necessitatem, Juri patrio, & Connubiis pondus & Auctoritatem, hereditatibus & tutelis certas & statutas regulas constituerunt, Dominiis & Possessionibus securitatem, delictis penas certas & legitimas, judiciis denique ordinem præscriperunt, ut vel ex ipsorum fragmentis, multorum diligentia collectis conicere est, ex quibus non tantum quid statuatur, sed quæ statuenda sint, possint elici, cum omnia comprehendere non potuerint Legibus, *L. 10. 12. 13. 26. 27. D. de LL. l. 22. C. eodem.* Sublatis a Comitibus desierunt Leges à populo fieri, & in earum locum successerunt primò Senatus Consulta, deinde Principum Constitutiones, quæ impostèrum Jcti interpretanda susceperunt, quæ legibus antiquis non cedunt, sive æquitatem naturalem, sive subtiles juris rationes, quæ in eis elucent, spectaveris, quæ non ex mero Principum arbitrio, sed ex Jctorum consilio editæ sunt, *Suetonium in Augusto cap. 35.* Tandem Justinianus Jurisprudentiam Romanam, Romæ & penè tota Italiâ exclusam in Græciam revocavit, ut eâ, quasi Palladio & felici fortunatoque simulachro Jus Imperii Occidentis conservaret. Ille idem, quod Julius Cæsar, Crassus, Tullius, Pompejus consilium ante iniverant, feliciter peregit, atque Sanctissimæ Justitiæ templum extruxit *l. 1. §. 5. C. de Vetere jure enucleando,* & instar *Δεξ πρᾶξι δίκης,* quæ à Suida dictis & factis finem imponere dicitur, Jurisprudentiæ indies recrecenti beatum Colophonem imposuit. Ex quibus omnibus & singulis Legum Romanarum ad nos derivatarum Dignitas, Honestas, Necessitas & Utilitas apparet. Quid est enim ferè aliud lex, quàm ut Philosophus Stoicæ scholæ summus Chrysippus eam in libro, quem fecit *περὶ νόμου* definivit: *ὁ νόμος πάντων ὅτι βασιλεὺς θεῶν τε καὶ ἀνθρώπων πραγμάτων,* i. e. Lex est omnium Divinarum & humanarum rerum Regina: Honestatis ac turpitudinis Arbitra, justorum ac injustorum regula: omnium omninò animantium, quæ modo ad civilem societatem nata sunt Princeps ac Domina, faciendæ constituens, contraria vetans. Unde Plato *lib. 2. d. LL.* Legem ait esse Magistratum mutum, Magistratum verò Legem loquentem, ut *secundum Martianum ex Demosthene:* *πᾶς ὅστιν νόμος ἔσθιμα μὲν καὶ δῶρον θεῶν:* Ita
(0)(2) & Ma-

& Magistratus ejusdem ab illis dicitur ordinatio. Uti Magistratus Officium est,
 bonos tueri, & malos punire: Ita legis virtus est imperare & vetare *L. 7. D. de
 Legibus, Paulus ad Rom. c. 13. 1. Petri 2. v. 13. Plutarchus in vita Solonis*; Ubi Rei-
 publicæ vincula pœna & præmia constituuntur. Hinc ipsi Imp̃. quamvis LL. su-
 periores, tamen Legibus vivere voluerunt, uti Alexander *l. 3 C. de Testamentis*,
 ut & Severus & Antoninus. *S. 8. J. Q. M. T. J. L. 4. C. de LL. l. fin. C. si contra jus
 e. II. D. 10. N. Leon. 47. in fine*: Consultè agit, qui præcepto legis obtemperat. *l. 2.
 C. de Furtis. l. 11. C. de Collat. Vide Nov. Leon in Proæmio, & Nov. 19. 36. 47. 105.*
 ubi Leges Reipublicæ oculoseleganter pronuntiavit. Quemadmodum enim res
 maximè necessaria est animalium titubans oculus: Ita & Reipublicæ æquus & ju-
 stus status. Quæ itaque LL. definita sunt, mutare non licet, quæ à L. L. expressa
 non sunt, arbitrium sequuntur humanæ voluntatis. *c. 3. causa 13. q. 2. Adde L. 1. D. de
 jure deliberandi l. 32. pr. D. de usuris*. Unde Justinianus in *Nov. 82. c. 13.* statuit:
 Nos volumus obtinere, quod nostræ volunt Leges. Sunt enim Reipublicæ su-
 stentaculum. *Nov. Leonis 36.* Parentes Reipublicæ. *Nov. 59.* Imò sunt ve-
 nerandæ per orapiorum Principum divinitus prolata, *c. fin. causa 16. q. 3.* Hoc
 ergo LL. ordine omne hominum genus tenetur. *Nov. 12. c. 4.* Hinc insignitè ju-
 cundè Justinianus Noster & publicis & privatis rebus. Leges imposuit, quarum
 arbitrio in judiciis, & extra judicia, hinc inde standum est. Inter has a. LL. non
 minimum momentum habet Amplissima Successionum Materia, tam ex testamen-
 to, quàm ab intestato, quarum altera alteri tanquam recentiori multis parafangis
 præfertur. Ab intestato a. Successio, qualis Athenis fuerit, ex Demosthene
Ἐπι ἀγνῆ κλήρη patet, ubi legem Solonis recitat, quæ in Principiis meis juris, LL.
 Solonis & Draconis XII. est: *ὅς τις ἀν (μὴ) ἀγαθέμεν ὁδοθάνη εἰάν μὲν παῖ-
 δας καταλίπη θηλείας σὺν ταύτησι. εἰάν κ̄ μὴ, τὰς ἑ κυρίας εἶναι τ̄ χρημά-
 των, εἰάν δ̄ ἀδελφοὶ ᾧσιν ὁμοπάτερες, καὶ εἰάν παῖδες ἐξ ἀδελφῶν γνήσιοι τῶν
 τ̄ πατρὸς μοῖραν λαγχάνειν. Εἰάν ἑ μὴ ἀδελφοὶ ᾧσιν, ἢ παῖδες ἀδελφῶν, ἐξ αὐ-
 τῶν, κ̄ ταυτὰ λαγχάνειν. Κατατεῖν καὶ τὰς ἀρρένας καὶ τὰς ἑκ τ̄ ἀρρέων, εἰάν ἑκ
 τ̄ αὐτῶν ᾧσι, καὶ εἰάν γίνεαι ἀποτέρω. Εἰάν ἢ μὴ ᾧσι πρὸς πατρὸς μέχει ἀνεψιάδων
 παίδων τὰς πρὸς μητρὸς ἑ ἀνδρὸς κ̄ ταυτὰ κυρίας εἶναι. εἰάν ἑ μὴ ἐτέρωθεν ἢν
 ἐν τῶν τῶν πρὸς πατρὸς ἐγγυπέτω κύριον εἶναι.* Vult ibidem Solon masculos
 & feminas in hereditatem succedere, & ut Ulp. interpres, *νέμειοθαι πάντα Ἰπίσης*,
 omnia æqualiter his distribui. Ita tamen, ut sint fratres consanguinei, ex eo-
 dem patre prognati. *Νόμ ὁ γὰρ ποιεῖ κυρίας εἶναι τὰς παῖδας ἑαυτῶν ὀνόματ ὁ*
ἰνquit, Ita heredis nomen ὁμογᾶσπιος habere non possunt, quod non familiae co-
 hæreant. Intelligit a. Solon ὁμοπάτερας fratres susceptos ex γυναικὸς κατὰ νόμον,
 ut De-

ut Demosthenes vocat, qui ex natura nomē patris sequuntur, & pleno jure suc-
 cedunt: Cum secus fieret in susceptis *κατὰ ἐρωτικὴν δύναμιν*, s. ex nudo a-
 more sine conjugio, ut Ulp. nominat, quibus successionis spes fuit adempta, nisi
 juramento prius intercedente, ad *Φεαρτίαν* deducti, collegii jus adipiscantur.
 Fratrum quoque liberos, parentis defuncti locum representare, & succedere
 constituit, cum patruo in stirpem: Sed tamen præferri semper masculos, non
 autem excludi. In successione a. Agnatorum & Cognatorum gradus ad
ἀνεψιάδης, h. e. consobrinorum filios transtulit, nec ulterius porrexit, qui
 quintus est in ordine jure Prætorio. Plato in 2. de ll. ita cavet: Si quis, ait,
 intestatus decesserit, & filias reliquerit, frater ejus ex patre, aut ex matre, si abs-
 que hereditate sit, mortui filiam ducat, ejusque hereditatem adeat. Si frater
 non extet, filius ejus ducat, nisi ætas impediatur. Nec si hic extet, sororis filius,
 aut nec hoc extante, fratres patris, filius hujus, & sororis paternæ filius ducat,
 ut hereditas in familiâ maneat. Agnatos autem cognatis vult in ea ducenda
 anteferri. Quò etiam respexit Charondas, dum legem fecit utilissimam, ut
 Pupillorum res agnatis committerentur administrandæ: Alimenti a. præstan-
 di, & educationis curam cognatis & affinibus matris, quibus ut nullum suc-
 cessionis jus erat in bona pupillorum defunctorum: Ita Avaritiæ, Furti, aut
 negligentia nulla præbita occasio: Agnatis à quibus Lex defert successionem,
 curam corporis negavit, ne insidia, & mala tractatio vitæ eorum pararentur,
 ac internecino modo hereditatem acquirerent. Jure a. Romano Hereditas
 ab Intestato similiter heredi proximo debetur, quem *αυτοκληθρόμον* voca-
 runt, seu heredem suum, qui in potestate est, & quem gradu nemo antecedit,
 quod ex Lege XII. tabularum & L.L. Solonis descendit. Cum autem quisque
 secundum Platonem moriatur *ἢ διατέμεν* & *ἢ μὴ διατέμεν* duplex suc-
 cessione ab Intestato & Testamento. Verum quando Ephialtes Ephorus
 Lacedæmonius primò legem tulit Spartanis, ut parentes filiis præteritis,
 quemcunque vellent, heredem scriberent, Liberos in pietatis erga Parentes
 officio continendi gratiâ: consuetudo successionis in Peloponneso ita invaluit,
 ut Familiæ per plures successionis jure privatae penitus interciderent. Solon a.
 iniquitate juris, & Familiarum interitu motus, LL. Atheniensibus scripsit, tam
 in successione, quàm contractibus & delictis servandas, quas complexa est An-
 tiquitas. Constituit autem, si heredes non extarent, ut scribere extraneos
 permitteretur. In hac Successionum amplâ materiâ se etiam exercere voluit
 in præsens Prænobilis & Clarissimus Dnus Candidatus, dum de successione,
 extraordinariâ & anomolâ, Legali & Conventionali diversis sectionibus doctas
 theses elaboravit, & ad Inauguralem hanc dissertationem selegit, hocque
 ipso satis superque suum erga L.L. & Canones; jus Publicum & Privatum
ἀπὸ τῶν οὐχῶν strenuè ex cultum liquidò contestatus est affectum, ut au-
 reum

reum Astreae Vellus, postquam per aliquot annos in uniformi virtutum studio decurrisset, hilaris ac lætus hinc auferre posset. Ut autem de genere & Natalibus more recepto, nonnulla in medium proferrem, à primis principiis ea, quæ mihi suggesta sunt, bonâ fide repetam, & publicæ vocis suffragio memorabo. Autore DEO, lucem videre cepit Candidatus noster Hamburgi, Metropoli Holsatiæ, Anno à nato Servatore, M. DC. XLVIII. die 15. Augusti, Patrem ipsilatgitus est omnium Pater DEUS, Virum Magnificum, atque Excellentissimum, Dn. JOHANNEM SLUTERUM, Jureconsultum, Exquisitissimum, Serenissimi Principis ac Domini, DN. GUSTAVI ADOLPHI, Ducis Mecklenburgici &c. &c. Domini nostri Clementissimi, nunc temporis Cancellarium, & Consiliarium Intimum, benemeritum, Amicum, Fautorem, ac Patronum nostrum maximè venerandum. Matre gaudet ELISABETHA, è stirpe Traineriâ, quam Norimbergæ quondam coluit, ducente originem. Prima studiorum stipendia meruit, in patriâ, usus informatione privatâ. Vocato deinde DN. Parente Vismariam, ut in Regio, quod ibi constitutum, Tribunali summo, Assessoris munere fungeretur, Publicam frequentare Scholam jussus est. Præceptorem primùm nactus Virum Clarissimum, DN. ANDREAM PAULI. Hoc duce sanè fidelissimo fundamenta Latinæ linguæ firmiter posita sunt, nec minus inculcata ea, quæ ad æternam beatitudinem necessaria videbantur; Et item alia, quæ ad rerum cognitionem omnium primò faciunt. Hunc excepit Clarissimus & Eximius DN. CHRISTOPHORUS HOPSTOCKIUS Poëtarum imprimis naturam, & Græci Sermonis indolem explicans, cujus tamen curam quoque modò laudatus DN. PAULI maximam egit, eò digitum intendens, quod Justinianus in Epist. 2. D. præfixa monuit: nempe Latinam & Græcam linguam in Imperio debere esse æternas. Successit tandem Vir Præcellentissimus & Clarissimus Dn. LAURENTIUS BUNSOVIUS, h. t. Gymnasia Sundenfis Rector meritisissimus. Hic, ut est solidè doctus, & Minervam in potestate habet, curatam limam, & elegantem adhibuit operam, ut, quæ antea aliorum diligentia paraverat, sed per ætatem rudiora, imposterum polita apparerent & perficerentur. Interea temporis, dum Scholam Vismariensem nostro ingredi licuit, domi Philosophiæ litavit, præeunte fratre plurimùm Reverendo atque Excellentissimo DN. SEVERINO WALTHERO S.S. Theologiæ Doctore, Amico nostro honoratissimo. Dehinc Principiis Juris quoque Civilis imbuere cœptus, ductore ipso Dno Magnifico parente. Postea Jenam profectus, unâ cum fratre Carissimo SEVERINO WALTHERO, eò pervenientes, ambo admissi sunt ad ædes & mensam Theologi Excellentissimi DN. JOHANNIS MUSÆI, noster a. unicè juri incubuit, & privatim à Viro Excellentissimo Domino ADRIANO BEJERO, J. U. D. Eximio, nec non Clarissimo


Clarissimo & Consultissimo Dno D. JOHANNE GEORGIO SIMONE,
Dni MUSÆI itidem Salino, verborum & LL. Doctrinâ Spectatissimis infor-
matus est. Publicè ibidem audivit Jctos Celeberrimos & Famigeratiss-
mos DN. CHRISTOPHORUM RICHTERUM, & Dnum JOHAN-
NEM STRAUCHIUM, aliosque vel disputantes vel legentes. Quâ Acade-
miâ relicta Aلدorfium concessit, comite fratre, studiorum fideli Achate & Pa-
rastata, ubi humanissimè excepti à Theologo eleganter docto Dno JOHAN-
NE CONRADO DURRIO, inferente eos numero convictorum. For-
matus publicè à Dno ERNESTO CREGELIO Jcto Celebratissimo, sub
cujus clypeo & umbone Disputationem habuit, de jure Adcrescendi pro-
prio Marte compositam, postquam jam publicè aliquoties vices opponen-
tis sustinuerat. Privatim docuit Nostrum DN. JOH. WOLFGANG
TEXTOR, Jctus acutissimus, in Collegio Disputatorio-Lectorio. De-
ceterò licuit Nostro in intimiorem venire notitiam B. NIC. RITTERS-
HUSII, & DN. WAGENSEILII Polyhistoris Noricis Carissimi, & alio-
rum Dominorum Professorum cujuscunque tandem Facultatis fuerint.
Aلدorphio Norimbergam redierunt, per quam venerant urbem, ubi ali-
quantisper commorati, ut Forma illius Reipublicæ & Aristocratix inno-
tesceret. Inde in Germaniâ superiori, aditis præcipuè Ratisbonâ, Ingol-
stadio, Monachio, Augustâ Vindelicorum, Ulmâ, Studtgardia, Tu-
bingâ, &c. & Rheno proximis Civitatibus: Argentorato, Spirâ, Heidel-
bergâ, Wormatiâ, Francofurto ad Moenum, Moguntiâ, Bonnâ, Colonia
Agrippina (quæ in Germania inferiori juris Italici est L. 8. §. 2. D. de Censibus)
perlustratis, in Belgium devecti sunt, id potissimum agentes, ut ad erudito-
rum sermones admitterentur. Tandem per Frisicas, Gröningensem, &
Oldenburgensem Provincias, & itidem Bremensem Ducatum ad Lares pa-
trios Gustrovium, DEO Propitio, perventum est. Ubi aliquantum tem-
poris Noster substitit, Practicos Authores subinde ad manus sumsit, non ne-
glectâ tamen Theoriâ. Interea conscripsit elegantem Disputationem de
Executione, tam Criminali, quàm Civili, in quâ Anno proximè elapso exerci-
tus fuit publicè hîc Rostochii, Præside, Viro Magnifico & Excellentissimo
Dno HENRICO RUDOLPHO REDEKERO, Jcto Celeberrimo, tunc
temporis Decano, Dno Collega nostro honoratissimo, quâ occasione aliis
quoque Dominis Antecessoribus adesse, eorumque sermones soliditatis ple-
nissimos bibulis auribus haurire publicè privatimque ipsi concessum est.
Ante autem, quàm exteris Nationes rursus adiret, & peregrinas regiones
inviseret, satius duxit consilio Magnifici DN. Parentis, ut finis studio juris
Theoretico imponeretur. Quamobrem nomen suum apud me p. t. De-
canum honestè & modestè professus est. Unde etiam factum, ut sine stre-
pitu & longâ cunctatione 4. die Martii, suffragante totâ Ampliss. Facultate,
ad rigo-


ad rigorosum examen admissus sit. In quo cum singulorum Dominorum Collegarum vota & applausus sine invidia invenisset, nihil reliquum magis superesse arbitratus est, quàm ut 3. die Aprilis ad Publicum omnium Eruditorum examen admitteretur, & toti Academiae concinnam DE SUCCESSIONE EXTRAORDINARIA Disputationem exhiberet.

Ut itaque hic actus eò illustrior & splendidior reddatur, invito ad eundem inprimis Magnificum DN. Rectorem, Amplissimos atque Excellentissimos Dominos Professores, Collegas, Doctores, Licentiatos, verbi divini Administros & ὑπηρέτας, Magistros, & omnes literatos, literatorumque Fautores, ut & universam, generosæ masculæque indolis juventutem, amicè rogans omnes & singulos, ut tantillum aliis suis occupationibus detrahere, ac suffurari, & Magnificâ & gloriosâ suâ præsentia hunc Candidatum beare dignentur. Nulli siquidem dubitamus, quin apud ipsum præclarè vestrum sitis posituri studium atque beneficium, illudque idem ubique terrarum gratâ mente reculturus sit. Nos quoque de singulis itidem, datâ occasione, bene rursus mereri καὶ δύνανται allaborabimus, nec unquam admissuri, ut ingratitude nota nobis inuri queat. Valete.

P. P. Rostochii sub Sigillo Facultatis Juridicæ die XXIII. Martii. Anno M. DC. LXXIII.











NGERVS g) elegantem dixerint BARTOLI h) compa-
inter militiam humanam et diuinam, tempo-
bellum inter Deum & homines esse, fingentis;
men haud alienum est, imminens mortis peri-
otissimum in caussa esse, cur hoc aequae, ac mi-
tamentum, tot testium, quot ad testamentum
necessarii sunt, conuocatione haud indigeat,
anto difficiliore, quanto magis homines, ne
ereant contagio, vel aufugere ex loco infecto,
n domos conspectumque morbo correptorum
itare. Quum itaque hic quoque numerus te-
arius non ad formam et constitutionem testa-
ed ad probationem solummodo adesse debeat,
est dubium, quin heres, si ipse interfuerit te-
actioni, ad iuramentum suppletorium possit
).

§. XXIX.

TESTAMENTA IN FAVOREM PIARVM CAUSSA- RVM FACTA.

que ius pontificium magnum fauorem, quem
piis caussis tribuit, eo etiam extendit, vt, si
quan-


cit.

n. n. i. ff. de *bonor. poss.*
milit.

rariam hic iterum par-
etiam CARPZOVIUS L.
tuitus est, abire, ean-
rationem, adductis

simul c. ii. X. de *Testam.* et c. 28. X.
de *Testibus*, videmus Ill. LEYSERVM
Sp. 368. m. 4. Sed nostrae senten-
tiae sicuti textus allati non aduer-
santur; ita ei fauent, praeter RICH-
TERVM Dec. 28. n. 28. et VIRGIL.
FIN-

H



the scale towards document

09A

Image Engineering Scan Reference Chart TE263 Serial No.

Patch Reference numbers on UTT